

lum suis humeris sustinere, locum præbente fabulis (sphaere inuentione. De eodem B. August. lib. 18. de ciuit. Dei sic ait. Atlas magnus fuisse Astrologus dicitur, vnde occasione fabula inuenit, vt eum Caelum portare confingeretur. Vult quoq; Eusebius Casariensis in preparatione Evangelica, Enoch, & Atlantem esse vnum & eundem hominem. Caelius Rhodiginus lib. 18. lectionum antiquarum putat, Astronomiam primum a Sidonijs propter vsum navigationis fuisse inuentam. Sicut enim Geometria prima fundamenta iecerunt Aegyptij ob rationem mensurandorum agrorum, quam habere non poterant sine Geometria; & Phœnices ob frequentes mercaturas, commertiaq; prima Arithmetices rudimenta tradidisse existimatur: Ita etiam Sidonij propter assiduam navigationem, qua vtebantur, Astronomiam primi inuenisse creditur, quoniam sine hac scientia navigationis vsus consistere minime valet; hanc tamen postea mirum in modum auxerunt Chaldei, Persæ, Indi, Aegyptij, Græci, nec non Arabes quam plurimi.

QUICQUID tandem sit de primis inuentoribus Astronomiae, clarum est atq; certum, complures insignes auctores in ea excelluisse, e quibus recensêbo duntaxat magis præcipuos. In primis floruit in ea Atlas Promethei frater, rex Mauritanie in Aegypto natus, qui eam tradidit Herculi, qui in hac disciplina tantum dicitur profecisse, vt ob eximiam doctrinam de rebus Cælestibus, qua insigniter præditus erat, Cælum ab Atlante susceptum humeris suis sustinuisse prædicetur, magnaq; eum esse gloria potitum historiae testentur, quod sphaeram astrorum primus in Græciam transfulerit. His postmodum plurimi insignes Astrologi successerunt, vt Anaximader Milesius, Thales Milesius, Pythagoras Samius, Eudoxus Cnidius tempore Platonis auditor Aegyptiorum & Chaldeorum, Callippus, Architas Tarentinus, Euclides Megarensis, Aratus Solensis, Timochares Alexandrinus, Abrachis, Hipparchus Rhodius, Eratosthenes Atheniensis, Archimedes Syracusanus, Sosigenes, Iulius Cæsar, qui opera Sosigenis annu ad solis cursum accommodauit, Andromachus Cretensis, qui dicitur esse inuëtor Theoricarum, Proclus Diadochus, Menelaus Romanus, qui & Mileus Geometra, Theodosius Tripolita auctor trium librorum de sphaericis elementis, Ptolemeus omnium peritissimus, Theon Alexandrinus, Iulius Firmicus Siculus, Pappus Alexandrinus, Albumasar, Almeon Arabs, Abraham Auenesre, Albategnius, Thebit, Hali, Geber Hispanus